5641
129

Vir Clarissime atq; Doctissime.

Quod me ignorare nolueris fata prospera philosophiae meae in Academia Regiomontana grato agnosco animo. Ecce Tibi literas ad Per-illustrem Dn. L. B. de Bülow, qui autoritate sua id effecit, quod dudum optaveram. Rogo etiam, ut meo nomine gratias maximas agas Dn. parenti, qui cum Summe Reverendo Collega Reinbeckio viro generosissimo manus auxiliatrices non denegarunt et judicio suo, quod plurimum valet penes Regem, ejus autoritati pondus addere non detrectarunt. Utinam non deesset, qui Regi persuaderet, ut Descriptionem Regiomontanum ad ceteras quoque Academias Regias, praesertim Hallensem, extenderetur. Ceterum non est

364 v

quod dubites de prudentia mea quae gratiarum actionem
publicam iis, qui mihi favent et causam meam apud Re-
gem agunt, differri jubet in illud tempus, quo nemini mo-
lesta. Neque enim alia ratio mihi persuasit historiam vexatio-
num Hallensium supprimere et posteritati reservare, ne veritas
pati debeat aliquod decrementum. Theologiae naturali pro-
pediem ultima manus typothetarum imponetur, ut nundi-
nis instantibus publici juris fieri possit. Gratias ago, quod
plagulas aliquas Theologiae moralis, quam prelo subdidit
maxime Rev. Baumgarthius, mecum communicare
volueris, rogans ut eum meo nomine plurimum sa-
lutes. Placent meditationes Autoris viris intelligentibus, qui-
bus eas monstravi. quod si in posterum nova quaedam
suo munere mihi destinaveris, euntibus parcere et Dn.
Vickio tradere potes fasciculum, cui saepe est occasio
talia ad me mittendi. Vale, Vir clarissime et me
ama. Dabam Marburgi Cattorum d. 11 Mart. 1736.

Vir Clarissime atque Doctissime,

Tuus omni studio
et officio
Christianus Wolfius.